



027

025

031

021

036

016

076

126

Ende

Anfang

4 IN TABULAS RUDOLPHINAS

parem operi futurum desitit uisses et as immaturo fato terminata: successit tamen in curam emendationis, NICOLAUS COPERNICUS, Canonicus Varmiensis Borussiae, Dominici Mariae discipulus, maximo vir ingenio, et quod in hoc exercitio magni momenti est, animo liber. Quicum opus revolutionum planetarum, quod emendationem Tabularum complectebatur, novam formam, maximamque laboribus apparatus, per annos totos XXXVII, detinuisse in scriptis; tandem, jam extremum vitae limen calcans, Noribergensibus edendum transmisit.

Prutenicarum origo.

Hoc opus est Tabulas habet explicationibus demonstrationum additas; nemo tamen est hodie, quod sciam, qui eas in calculum adhibeat. Successit enim proximis annis ERASMUS REINHOLDUS, vir cum omni doctrinarum genere excultissimus, tum imprimis ad Mathematicas artes a natura factus, ob perspicuitatem et facilitatem in rebus abstrusis admirabilem; qui opus hoc Tabularum Copernici jam fato functi, transformatum suscepit, PRUTENICASQUE, vel à Copernico Pruteno, vel à MOECENATE suo Prussiae Duce, et cognominavit, et delecto loci Meridiano, fecit. Regius enim Mons, cui Epochae Prutenicarum sunt accommodatae, non est illud Franciae orientalis, quae Regiomontano Patria fuit, sed alterum Borussiae Ducatus oppidum, in litore maris Baltici.

Causas, quas dat REINHOLDUS hujus in se susceptae occupationis, videre licet apud ipsum; duas certe dissimulare videtur. Cum enim Tabulae debeant esse Canonum exceptae, ad usum expediti; cum ALPHONSINAE, ceterisque Tabularum auctores, hunc usum manuarium etiam formam libri adjuvissent, Tabulis numerorum, uno contextu exhibitis, praecipuis vero brevissimis in initio praemissis: COPERNICI contra liber, Tabulas per textum demonstrationum dispersas habet, quemadmodum et Ptolemaicae Syntaxis. Ita fit, ut textu speculationem, Tabulis usum desiderantibus, distrahatur animus, ipsamque se opus utilitate sua praecipua prioret. Deinde absurdus COPERNICUS Hypothesibus insistebat, quibus offensos lectores REINHOLDUS credidit absterritum iri. Censuit igitur hoc sibi faciendum, ut omnia mentione mirabilium suppositionum, omisis etiam demonstrationibus prolixis et tediiosis, Tabulas ipsas seorsim daret, in libro manuali, correctas et supputatas diligentius, ut illas suas observationes fundamentales, quibus à COPERNICO erant superstructae, representarent exactius.

Cum Astrologia consuetudo.

Hoc consilio capto, Reinholdus aggressus opus, immanem et insuavem laborem se hausisse significat. Si de fine ejus queris, est ille quidem laudabilis, certa cognitio motuum; anni modus et meta, aequinoctia, solstitia, eclipses, conjunctiones magnae; ut ex earum rerum politia decentissima, sapientia bonitasque, CREATORIS elucesceret. At non tamen interim dissimulat auctor praedictionum studium; paucisque verbis, sed praegnantibus, quid arti Genethliacae tribuat, innuit; Eventus in hac inferiori natura, afflicti Astrorum motibus et positi effici aut significari, indeque praedici posse.

Astronomia unde videtur.

Quid multum? ex ea quae mater haecenus erat, alio mentis intuitu rectius aviam, ex filia matrem feceris, unde nata sit avia vultum referens neptis, iterum Astrologia, ut (quod olim in hac materia scripsi) Astronomiam matrem sapientissimam, sed pauperculam, stulta filia Astrologia, questu non ab omnibus aequè probato alata et sustentet. Atque hoc ipsum auctor specie negantis, concedere videtur. Dum enim divinationes crudito et vili labori Tabularum se negat praetulisse; et versatum se significat in hoc exercitio genere, et partes ei secundas dedisse fatetur.

VERUNTAMEN, ne quis hac eò pertinere putet, quasi virum eruditissimum inter supersticiosos illos Arabas referendum esse censeam, quibus unicae lucra, nulla Philosophia cura fuit: adhortor lectores, ut praefationem ejus in Theoriae Peurbachij legant, quam ille Anno M. D. XLII, purissimo et suavissimo sermonis genere concepit: in eam namque flores balant ex hortis Philosophiae penitissimis, admirabilis fragrantiae, quae lectori veluti mentem ipsam eripit: ut quamvis aliquis rerum humanarum eventus ex astris pendere neget: at certe Astrorum effectus aliquos in rebus humanis agnoscere cogatur. Huc referatur folium 178. illius Commentarii in Peurbachium; nec non et fol. 197.

Tabularum maturitas.

SED revertatur oratio nostra ad id unde est digressa; jamque inter viros relate Astronomiae suam etiam assignet maturitatem et consistentem aetatem. Nam quod Reinholdus de ALPHONSINIS affirmat, scire artifices, quod ea cum phenomenon non amplius

con-